ignoravimus, hodie nos audacter edocetis, naturam
humanam corrupistis, nostram perdere vultis, non
irrationabilem, deinceps, sed impietatis, scelerumque
famulatricem facere praesumitis; sed erratis, qui
nos in iustitiae persecutores esse putatis, vestra hoc
dementia sit, vestra crudelitas, vestra impietatis,
aliter nos crudeles nisi in persequenda impietate
non habebitis; et quidem proborum principum officium tueri
sanctitatem, innocentiam in libertatem vendicare,
colere virtutem; vos id praestare recusatis, exuistis
officium principum, rationis dignitatem, naturamque
hominis, hoc nos induemus; pro iustitia, pro
virtute, et vitam, et sanguinem ultro offeremus. aequis-
sima hac scelerum vestrorum poena ab universis agnos-
cetur. Haec et maiora, maiorique commotus indignatione
et ardore Ursus virtutis zelator, defensorque acer-
rimus protulisset; sed fecit quantum potuit, linguam
quam ad loquendum denegavit natura ad lambendos
virginis pedes, et significandum quae in corde
sentiret non denegavit. Venio nunc ad ultimam
orationis meae partem, obedientiam Ursi summam, et pene
divinam; hic verbo ipsoque mitissimo praegrande B. Gallo
adduxit truncum; eremum clarissimam, et habitatorem huius
usque sedem perpetuo reliquit. Quid ad hoc factum ultra
dicere possum? quid addere huic praeclarissimo faci-
nori, nisi demere velim? itaque ursum cum solitudine, cum